



Decisiones Sacramentales, Theologicæ, Canonicæ, & Legales

In Quibus Tota materia Sacramentorum, Theologiæ Moralis, Juris Canonici, & Quæstiones plurimæ Juris Civilis explicantur, dilucidantur, & traduntur, Eruditionibus, Historiis, & Exemplis adornatæ ; Opus Episcopis, Vicariis, Parochis, Confessariis, aliisque Studiosis utile, ac jucundum In Libris novem ...

Decisiones Miscellanæ

Chiericato, Giovanni Maria

Augustæ Vindelicorum, 1730

Decisio CXXXIII. Argumentum. Declaratur, quinam sit finis ultimus hominis? Undè procedat cæcitas humana, quæ de ultimo Fine parùm, aut nihil curat? Quæ sint damna hujus cæcitatis? Quæ remedia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94626](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94626)

Ecclesia populis ministraverit, statim aperientur super eum cataractae Caeli, & effundetur pluvia spiritalis; & mandavit Deus nubibus suis, ut pluant super eum imbrem, & abundantia rerum omnium perfuerit.

Tertiadecima. Quia prædicatio habet tantam Excellentiam, quantam gratia Miraculorum, & suscitatio mortuorum. cap. Olim. 8. q. 8.

Quartadecima. Quia, ut scribit Pax Jordanus lib. 6. tit. 1. num. 7. Inter cætera, quæ ad salutem populi spectant, pabulum verbi Dei permaximè sibi noscitur esse necessarium: quia sicut corpus materiali, sic anima spiritali cibo pascitur, & nutritur; eò quod non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. cap. Inter cætera de Offic. Ord. ubi DD. Et Illustr. Meraviglia Ammaestram. del Clero Am. 12.

DECISIO CXXXII.

ARGUMENTUM.

Recensetur, quæ sit vera methodus prædicandi fructuosè.

SUMMARIUM.

1. Rhetorica Ecclesiastica Cardin. Valerii commendata.
2. Parochorum fructuosa prædicatio quatuor requirit, & Quæ?
3. Qualitates bonorum Parochorum.
4. Parochi de quibus materiis debeant predicare?
5. Auditorum qualitates attendende à Prædicatoribus.
6. Prædicatio Parochorum in quot partes dividenda.

A Pluribus plura dicta sunt; sed quæ hic referenda veniunt, duo existunt. Unum genericum; videlicet, fructuosè prædicari ab illis Parochis, à quibus & cognoscitur, & servatur libellus Rhetoricæ Ecclesiasticæ Emin. Cardinalis Augustini Valerii olim Episcopi Veronæ, & Visitatoris Apostolici hujus Civitatis, ac Diocesis Patavinæ, impressus Mediolani anno 1574. & subinde oëties typis recusus, ac novissimè anno 1672. Patavii in Typographia Matthæi de Cadorinis.

Alterum Speciale; hoc est, ad fructuosas prædicationes populis faciendas per Parochos, quatuor ab eis esse observanda. Primum quoad se ipsos; Secundum quoad materiam. Tertium quoad audientes. Quartum quoad modum loquendi, & prædicandi.

Quoad se ipsos debent habere quatuor: Bonam conscientiam, cap. Quid est hoc, & cap. Cum exaudiero, dist. 50. Bonam conversationem, & famam, cap. Qualis 8. quæst. 1. Studium, cap. Si quis vult, dist. 36. Et Orationem, juxta illud: Si quis vestrum indiget sapientia, postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, Jac. 1. 5. Nam, ut scribit prælibatus Card. Valerius Rhetor, Eccl. lib. 1. capit. 5. in fin. Precibus adjungendum est studium, adjungenda est diligentia, & assidua lectio Sacrorum Librorum, sine qua qui nobilissimum dicendi munus sibi assumunt, accidunt sæpè, ut in varios errores, & in confusionem incidunt.

Quoad Materiam; quinque sunt, circa quæ Parochi sermocinari debent ad populum, videlicet.

Circa Credenda; & sunt articuli fidei Catholicæ, & Sacramenta.

Doct. Clericali Tom. II. Lib. IX.

Circa Speranda; & hæc est æterna vita, & gloria celestis.

Circa Timenda; & sunt Judicium extremum, & ignis æternus infernalis.

Circa vitanda; & sunt transgressionis Præceptorum Dei, Ecclesiæ, & superiorum, ac peccata omnia capitalia.

Et Circa Agenda; & sunt quæcunque ordinantur à lege Divina, Naturali, Ecclesiastica, & Civili; Consilia Evangelica, quæ omnia eleganter demonstrantur in suprad. Rhetor. Eccl. d. lib. 1. à cap. 5. usque ad cap. 18.

Quoad Audientes, quatuor diversa genera personarum sunt distinguenda; A Natura, ut Viri & mulieres, Senes, & Juvenes, & Pueri. A disciplina, ut Viri docti, vel rudes; studiosi, vel artifice. A qualitate, ut divites, vel pauperes, in adversitate, vel in prosperitate. Et A conditione, ut nobiles vel populares, Patritii, vel plebei; & ad omnium horum capacitatem debet esse ordinatus sermo, ut sit fructuosus, cap. Oportet. 8. quæst. 1. prout docet d. Rhetor. Eccl. d. lib. 1. à cap. 23. usque ad 48. & lib. 2. à cap. 15. usque ad 42. ubi argumenta adhibenda pro effectibus commovendis.

Quoad modum tandem loquendi, ac prædicandi fructuosè, sermo, seu concio debet habere quatuor partes, Exordium, Propositionem, Probationem, & Epilogum, d. Rhetor. Eccl. lib. 3. per tot. Et licet aliquando omitti possit Exordium, & Epilogus, nunquam tamen Propositioni, & Probatio; quas circa duas partes curare debet Parochus eloqui suavi, ac grata actione, voce, ac sono convenienti, utendo figuris, & argumentis, ac autoritatibus propriis, juxta Præcepta tradita in prædicto Libello Rhetor. Eccl. toto libro tertio, quorum præcipuum esse debet brevitatis Sermonis, seu, ut melius dicam, evitatio prolixitatis, quæ tædio esse solet auditoribus, & fructu impedit in eorum mentibus.

DECISIO CXXXIII.

ARGUMENTUM.

Declaratur, quinam sit finis ultimus hominis? Undè procedat cæcitas humana, quæ de ultimo Fine parum, aut nihil curat? Quæ sint damna hujus cæcitatis? Quæ remedia?

SUMMARIUM.

1. Finis, ob quem creatus est homo, duplex.
2. Deus est finis ultimus hominum.
3. Exercitiorum S. Ignatii principale fundamentum.
4. Antonius Maria Cortivus de Sanctis Nob. Patavinus Fundator Congreg. Oratorii de Padua.
5. Cæcitatis Intellectus humani damna duo.
6. Finis ultimus hominis prædicandus à Parochis.
7. Prædicationis Parochorum utilitas.
8. Prædicare debent Parochi Patavini juxta Epistolam Pastoralem Eminen. Præsulis diei 12. Martii 1681.

Dixere. Quod sicut duplex est vita hominis mortalis, & immortalis, seu præsens, & futura, ita duplex sit finis hominis, scilicet Unus vitæ præsentis, & mortalis, qui est mors; Omnes morimur, & quasi aquæ dilabimur in terram, quæ non revertuntur. 2. Reg. 14. 14. Alter vitæ futuræ, & immortalis, scilicet æterna Beatitudo, quæ consistit in Visione Dei, ejusvè Essentiæ Divinæ. S. Thom. in 1. 2. quæst. 3. art. 8. Igitur Fi.

B b 2

nis

- 2 nis ultimus, propter quem creatur homo, est Deus. *Universa propter semetipsum operatus est Dominus. Proverb. 16. 4. Qui de se ait; Ego sum Alpha, & Omega: Principium, & Finis, Apoc. 1. 8.* Hinc illud principale fundamentum, & principium fundamentale Exercitiorum spiritualium Sancti Ignatii, quo obtinuit tot, & tam admirabiles conversiones personarum, hisce verbis firmatum: *L'uomo è stato creato per lodare, honorare, e servire Dio Nostro Signore, e con questo mezzo salvare l'anima sua. Tutte le altre cose, che sono sopra la terra, sono state create per l'uomo; acciocche lo ajutino a conseguire il fine della sua creazione.* Lib. Exerc. S. Ignat. Medit. 1. pag. 33. Libellus Ment. 24. *Veritatum pag. 12.* Ludovic. de Ponte part. 1. Medit. 1. punct. 1. Anton. Maria Cortivo de Sanctis (qui fuit Nobilis Patavinus, & Fundator Congregationis Oratorii in Ecclesia S. Thomæ Martyris de Padua anno 1620. & restaurator Oratorii S. Hieronymi, ac S. Philippi Neri in eadem Civitate, & in pluribus Castris, & Villis Patavinæ Diocesis) in ejus Operib. Spiritualib. in *Excit. cap. 1. § seqq.*

Cacitas humana, quæ de ultimo hoc fine suo parum, aut nihil curat, provenit tum ab intellectu obscuritate, tum à voluntatis malitia; juxta illud S. Thom. 1. 2. *quest. 105. art. 2. ad 3. Natura humana magis corrupta est per peccatum quoad appetitum boni, quam quoad cognitionem veri.* Et augetur hæc cacitas à peccatis actualibus, unde S. Jo. Chrysost. tom. 1. ad Theophil. ait: *Ille (id est Adam) initium induxit debiti; nos scænis auximus posterioribus peccatis.*

Damna hujus cæcitatæ sunt duo. Unum, quod homines reputent suum ultimum finem bonæ temporalia, honores, dignitates, divitiæ delectamenta. *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt. Psal. 143. 15. Venite, fruamur bonis, quæ sunt; quoniam hæc est pars nostra, & hæc est sors.* Sap. 2. 6. Alterum, quod ita viventes perdant æternam vitam, & incurrant damnationem æternam. *Ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Job. 21. 13.*

- Remedium Unicum est, ut Parochi, animarumque Pastores doceant frequenter populos 6 supradictum verum finem ultimum, qui est Deus, eosque de illo jugiter moneant: quandoquidem, sicut Ignorantia est mater cunctorum vitiorum, cap. Ignorantia 38. dist. ita Prædicatio Parochorum est lumen ad expellendas tenebras humani intellectus. *Declaratio sermonum tuorum illuminat. Psal. 118. 130. Nunquid non verba mea sunt quasi ignis? dicit Dominus. Jerem. 23. 28.* Et habet efficacem medicinam ad sanandam voluntatem. *Vivus est sermo Dei, & efficax. Hebr. 4. 12. Et lex Domini immaculata convertens animas. Psal. 18. 8.* Si quidem deputati sunt Parochi, non ut tantum celebrent, & Sacramenta administrent; sed ut doceant, moneant, prædicent veritates æternas, & sic populos ad ultimum finem salvos perducant. *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Psal. 50. 15.* De qua prædicandi obligatione Epistola Pastoralis Eminentiſs. ac Reverendiſs. nostri Præſulis diei 12. Martii 1681. ad Parochos hujus Diocesis, quam studiosi reperient in Libro Literarum, & Edictorum Eminentiſs. ac Reverendiſs. Gregorii Cardinalis Barbadii Episcopi Patavini, impresso typis Seminarii Anno 1690.

DECISIO CXXXIV.

A R G U M E N T U M.

Exponitur, quid sit habitus malus ad peccandum? Unde oriatur, & augeatur? Quot ejus sint damna? Quæ ipsius remedia?

S U M M A R I U M.

1. *Habitus malus quid sit?*
2. *Quomodo augeatur?*
3. *Habitus mali quot sint damna?*
4. *Impenitentia finalis unde procedat?*
5. *Habitus malus peccandi quatuor remediis tollitur?*

Scriptum, quod sicut Habitus, secundum Philosophum lib. 12. *Ethic. cap. 3.* & ibi P. Maurus in *Comment. tom. 2. pag. 38. num. 1.* est altera natura, quæ operari facit cum delectatione; ita Habitus malus ad peccandum fit usus, frequentia, & consuetudo talis, qua peccator fertur in peccata non solum cum facilitate, sed cum delectatione, juxta illud; *Letantur, cum male fecerint. & exultant in rebus pessimis. Prov. 2. 14.* & sicut Habitus differt à dispositione per hoc, quod dispositio sit facile mobilis, ac mutabilis; habitus verò sit difficile mobilis, ac mutabilis; ut notat idem P. Maurus in lib. *Prædicamen. cap. 9. num. 2. tom. 1. pag. 49.* Ita malus Habitus ad peccandum difficilis est, ut emendetur; ideo scriptum est, *Cor ejus indurabitur tanquam lapis, & stringetur tanquam malleatoris incus. Job. 41. 15.*

Nascitur iste malus habitus ad peccandum, & augetur à seipso, id est à frequentia actualium peccatorum; siquidem *Abyssus abyssum invocat. Ps. 41. 9. & Qui in sordibus est, sordescit adhuc. Apoc. 22. 21.*

Plurima autem sunt ejus damna. 1. Peccare facit non solum cum facilitate, sed cum securitate. *Sapiens timet, & declinat in malo: stultus transiit, & confidit. Prov. 14. 16.* Imò ut dictum est, cum delectatione. Hinc S. Bernard. lib. 1. de *Consider. scripsit: Primum tibi (Peccatum) importabile videbitur: processu temporis, si assuescas, non judicabis adeo grave: paulo post & leve senties: paulo post nec senties: paulo post etiam delectabit.* 2. Reddit habentem talem habitum incorrigibilem; fit enim *Sicut aspis surda obturans aures suas.* Et ideo inutiles sunt monitiones Parochorum, Prædicatorum, ac eorumdem Prælatorum, ut non semel in Visitatione Diocesis compertum est; Nam *Impius, cum in profundum venerit peccatorum, contemnit: ubi Hugo Cardin. explicat, id est conscientiam, & peccata.* Et Lyrans, contemnit correptionem, penitentiam & omnem spirituales medicinam. 3. Idcirco ultimum, ac terribile damnum producit, videlicet, impenitentiam finalem, & damnationem æternam; juxta illud: *Et in peccato vestro moriemini. Jo. 8. nam Cor durum male habebit in novissimo.* Eccl. 3. 27. ut eruditè probat P. Paulus Segneri Soc. Jesu in suo *Christiano Instrueto part. 3. R. 1. per totum.*

Remedia plurima sunt, sed præcipua hæc quatuor. 1. Oratio mentalis super novissimis, & æternitate. *Et meditatus sum nocte in corde meo, & exercitabar. & scopebam spiritum meum. Psal. 76. 2.* Penitentia, & Castigatio corporis voluntaria, quia Satisfactorie pæne medentur peccatorum reliquiis, & VITIOSOS HABITUS tollunt. Concil. Tridentin. sess. 14. de Satisfact. capit. 8. 3. Deferere omnino quamcunque præ-